



20

DE  
CALCIVM  
IN PRIMIS VIVAE  
NATVRA ET PROPRIE-  
TATIBVS

\*\*\*\*\*

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. MED. THEOR. CHEM. ANAT. ET BOTAN. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

AD DIEM NOVEMBRIS CICCGCLXXVII.

PRO DOCTORIS MEDICI HONORE

LEGITIME CAPESSENDO

PVBLINE COMMENTABITVR

AVCTOR

IOANNES CAROLVS KOSCHWITZ

LANGENOELSA-SILESIVS.



---

TRAIECTI AD VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.





## PRAEFATIO.



Quae esset calcium, atque in primis calcis sic di-  
ctae viuae, natura, hominum fere omni-  
um, atque inter hos haud incelebrium  
virorum ingenia iam a priscis temporibus exercuit.  
Recentioribus temporibus Angli, atque ex iisdem in  
primis *I. Blakius*, ope aëris fixi et calcium naturam,  
et viuae praecipue proprietates, explicare allabora-

A 2

runt.



runt. Ex Germanis *Meyerus* ope acidi pinguis phaenomenorum rationem reddere studuit. At neutra hypothesis, quarum vtraque et sui admiratores et reprehensores habet, illis omnino satisfaciet, qui ad seuerius examen vtramque reuocabunt.

Mihi itaque, quamvis grauius idem argumentum esse facile concedam, liceat tamen noua methodo calcium et naturam et phaenomena perstringendi, periculum facere, hocque argumentum ad disceptandum pro obtainendis summis in Medicina honoribus publice proponere.

Ne vero experimenta omnino neglexisse videar, aliorum maxime labores, in hunc finem impensos, adducam, tumque in eosdem  
commentabór.

---

EXPE.



## EXPERIMENTA.



I.  
Serum sanguinis non, nisi maiori igne cogitur,  
sub 220°, atque, remota etiam lympha, co-  
gitur. *Boerhaave elem. chem. T. II. pr. 116.*  
*117. 127. P. Moscati* in offeruacioni ed espe-  
rienze Su'l Sangue e Sul' origine del calor animale. cf.  
ephem. litter. Goett. 1777. n. 3.

2.

Serum ab oleo vitrioli et spiritu vini cogitur. *Boer-*  
*haave l. c. pr. 118. P. Moscati l. c.* A calido spiritu vini ma-  
gis cogitur. *Boerh.*

3.

Si calx viua sub campana vitrea in serum iniicitur,  
post 20. horas serum cogitur, quamvis nullum calorem  
thermomетrum ostendat, ac calx omnino extincta est.  
*P. Moscati.*

4.

Serum calx viua admodum cogit, minus calx non  
optimae notae (haud bene vta), atque extincta omnino  
non cogit. *Moscati.*

5.

E contrario lympha in aere cogitur, atque ab in-  
flammabili fluida conseruatur; sic aer inflammabilis lym-  
pham soluit, sic idem calx viua efficit. *Moscati.*

A 3

6.



6.

Aqua calcis viuae hausta lympham soluit, ac color  
rem sanguinis auget. *Whyttii* opp. p. 92.

7.

Oui albumen; sub igne libero, aut in aqua sub ca-  
lore 160 - 212° therm. Fahrenh. fluiditatem suam amittit, et  
corpus solidum constituit. *Boerhaave* l. c. de *Wafferberg*.  
V. cl. exam. chem. oui §. 43. 46. opp. min. med. Fasc. I.

8.

Idem efficit spiritus vini atque oleum vitrioli. *Boer-  
haave* l. c. pr. 111. de *Wafferberg* l. c. §. 44. 47.

9.

Ab aqua marina oleisque vehementius cogitur, ma-  
xime, si in aqua calcis coquitur. de *Wafferberg* l. c. §. 43.  
Schol, *Hoffmanni* opusc. chem. L. II. obs. X. opp. T. IV.  
p. 491.

10.

Ouum, pond. vnciarum II., dum ad duritiem vs-  
que coctum erat, amisit drachmam vnam cum semisse.  
*Hoffmann* l. c. Opp. T. IV. p. 503. Aliud, pond. XIII.  
drachmar. cum scrup. amisit scrupulum vnum. *Neumann*  
chem. T. II. p. 191.


11.

Ex calce viua et spiritu salis obtinetur spiritus  
vinosus. *Ludouici*. *Neumann* chem. T. II. p. 608.

12.

Si Sulphur et terra calcarea (creta) calcinantur, at-  
que elixuantur, aquam calcis largiuntur, verae analogam.  
*Neumann* chem. T. I. p. 324. T. II. p. 629.

13.



I 3.

Creta et calx vstione fiunt calx viua. *Neumannii chem.*  
T. II. p. 619. 662. Calx sub vstione dimidium sui pon-  
deris amittit. *Du Hamel. mem. de l'acad. Roy. des Sc. de*  
*Paris 1747. p. 59.*

I 4.

Calx non solum in igne, sed sub speculo vrente  
etiam viua euadit. *Well de Wafferberg I. c. Fasc. II. p. 46.*  
*Erxleben V. Cl. phys. chem. Abh. p. 93.*

I 5.

Magnesia vsta proprietatibus calcis viuae gaudet.  
*Black. Erxleben, I. c. p. 15.*

I 6.

Sal alcalinus fixus causticus redditur, si diu vritur,  
neque ignis tantus est, vt fluat. Inde paratum lixiuum  
quodammodo etiam caustum fit, si saepe numero carbo-  
nes candentes in eo extinguntur. *Erxleben I. c. p. 180.*

I 7.

Si vini spiritus purus est, incensus nihil carbonis  
relinquit. Potest superfluis particulis aquosis priuari, dum  
saepius supra vstum salem alcalinum fixum effunditur, vbi  
aqua supernatat, atque eadem levior est. *Erxlebii chem.*  
§. 260. Sic perfe&gtior quoque, ac spiritui vini gallico ana-  
logus reddi potest, dum supra calcem viuam destillatur.  
*Ephem. Vratisl. n. XXXI. p. 104. seq.*

I 8.

Calx, quae vritur, pondere decrescit. E contra-  
rio pondere augetur, dum cruda euadit. *Erxleben I. c. p. 74.*

I 9.



19.

Magnesia et sal alcalinus fixus, quos causticos reddidimus, pondere decreuerunt. *Erxleben*, p. 78.

20.

Phosphorus aëre destruitur, reliquo acido fluido, quodpondus phosphori excedit. Cui reliquiae materiae inflammabile additur, atque utraque destillatur, phosphorus obtinetur. *Erxlebii chem.* §. 227-9.

21.

Pyrophori gr. 272. intra mensem gr. 56. pondere increuerunt. In alio experimento gr. 200. eiusdem post 5. dies 60. gr. pondere increuerunt. *de Smeth v. Cl. Mag. für Aerzte T. p. 297. seq.*

22.

Limatura martis et sulphur, puluerisata ac cum aqua mixta, ad incisionem usque calefiunt. Aër, in quo haec latent, grauitate imminuit ad IV. usque partem.

23.

Sulphur imminuit aëris partem XV. aut XVI. nec tamen eiusdem pondus admodum mutat. Candela in eiusmodi aëre non deflagrat. *Erxleb. chem.* §. 364.

24.

Carbones in vase clauso non mutantur, sed in aëre libero deflagent, aërisque partem imminuunt. Eiusmodi aër candelae flamمام extinguit. *Erxleb. chem.* §. 184.

25.

*Wellius*, V. Cl., vnciam unam semis cretae in acido nitroso soluit, solutionem ad fusione aliquot vnciarum aquae debi-



debilitauit, et solutum ope instillati olei tartari per deliquium praeceps dedit et rite depurauit.

Inde puluerem subtilissimum obtinuit, sub no. 1 creta pura, sub no. 2. frustillum cretae sub no. 3. Haec omnia seorsim per VII horas calcinavit, et deinde refrigerauit.

Puluis no. 1. proiciebatur in vas, cui aquam adfudit: thermometron ab 8'- 12' adscendit, neque aestus singularis subsecutus est, etsi aqua calcis acrem exhiberet saporem. Trita cum aequali copia salis ammoniaci alcali volatile momentanee liberauit.

Pari ratione experimentum instituit cum no. 2. Thermom. adscendit ab 8'- 35', atque aqua minus quidem calefiebat, quam sub extincione calcis viuae communis fieri solet.

Methodo simillima calcem no. 3. restinxit; thermom. ab 8'- 49' adscendit. Extinxit quoque calcem, qualis habetur venalis, denuoque eandem calcinavit: thermom. a 10'- 13' adscendit, quamvis calx esset bonaee notae. de Wasserberg l. c. opp. min. Fast. II. p. 74-77.

26.

In aqua frida calceaque viua thermometrum ab 48'- 112' adscendit. Whytii Opp. p. 21. n. 2 - 5.

27.

Calx viua maiorem cum minori aquae quantitate, quam cum maiori producit calorem. Meyer Abb. v. d. Kalck. p. 22. Erxiben.

B

28.



28.

Cum spiritu vini oleisque calx viua calorem vix animaduertendum producit. *Neumanni chem. T. II. p. 321.*  
*Whytt.*

29.

Calx viua cum aceto maiorem producit calorem.  
*Meyer I. c. p. 33.*

30.

Spiritus nitri fumans cum aqua non tantum producit calorem, quantum oleum vitrioli. (vid. et *Boerhaave I. c. T. I. de calore exper. I. XVII.*)

31.

Aqua, calci viuae adfusa, singulari imbuitur sapore, acri, caustico. In vase clauso diu haec conseruari potest, in aperto vero in superficie oritur tremor calcis: atque hac ratione omnis demum calx deiicitur, atque aqua suas amittit proprietates. *Erxleben §. 206. chem.*

32.

Si retortae collum, in qua calx viritur, alii vasimittitur, quod aqua calcis repletum est, haec turbida fit, omnisque calx cruda dejicitur. Si loco aquae calcis calx viua sumta est, eadem cruda euadit. *Iacquin. V. Cl. Erxleb. I. c. p. 152.*

33.

Si vapores a rebus, fermentationem subeuntibus, orientes ad aquam calcis duocuntur, calx cruda deiicitur. *Macbride. Erxleb. I. c. p. 153.*

34.



34.

Si aqua calcis cum efferuescentibus acidis et alcalinis coniungitur, eadem quoque cruda deicitur. *Macbride. Iacquin. Cranzius. V. Cel. Lauoiser. de Smeth. Erxleb.*  
p. 153.

35.

Si sal alcalinus fixus cum calce viua atque aqua aliquamdiu coquitur, lixiuum salis singularem acrem causticum saporem exserit. Hac ratione paratus sal alcalinus nunquam in crystallos redigi potest, facile liquet, atque, si sufficiens calcis viuae pars adhibita fuit, cum acidis non effervescit. Sal alcalinus volatilis cum calce viua destillatus acrior etiam redditur, neque in formam sicciam redigi potest, nec cum acidis effervescit. Eundem quoque esse aqua specifice leuiorem, notatu haud indignum est. Quae his proprietates adserit, calx viua cruda euadit, et pondere augetur. *Erxleb. chem. §. 212. et l. c. p. 194.*

36.

Si aquae calcis sal alcalinus additur, calx cruda praeципitat. Sal alcali vero acrimonia vrente imbutus est, unde causticus dicitur, nec cum acidis effervescit (nisi iusto plus salis alcalini addideris), in aere facile deliquescit, nec sal alcalinus volatilis in formam sicciam redigi potest. *Erxleben. 176. f. l. c.*

37.

Sal alcalinus causticus, siue sit fixus, siue volatilis, calcem ex aqua calcis non praecipitat. *Erxleb. l. c. p. 180.*

B 2

38.



## 38.

Lixiuorum pondus etiam imminuitur, quum ope calcis viuae caustica sunt. Lixiuum omnino causticum factum est ad aquam destillatam = 1,041093: 1, quum lixiuum non causticum esset = 1,049350: 1: *Lauoiser.*  
*Erxleb.* l. c. p. 185.

## 39.

Si calx, s. sit cruda s. viua, in acido soluta est, et sal alcalinus non causticus additur, s. sit fixus s. volatilis, calx ex acido praecipitatur, s. solutio sit aqua diluta s. non. Calx praecipitata pondere augetur, et est cruda. *Erxleb.* l. c. p. 227.

## 40.

Sal alcalinus fixus causticus calcem quoque ex acido praecipitat. *Iacquin.* *Wieglob.* V. Cl. sed praecipitatum gaudet proprietatibus calcis viuae et tum, quum modo cruda calx in acidis soluta est. *Black.* *Iacquin.* *Lauoiser.*  
*Erxleben* l. c. p. 224. f.

## 41.

Sal alcalinus volatilis causticus e contrario terram calcaream ex acidis non praecipitat. *Black.* *Meyer.* *Wieglob.* *Baume.* *Vogel.* *Lauoiser.* Igitur *Iacquin.* *Cranzius.* *Boehm* et *Well*, qui idem negant, non omnino caustico sale alcalino volatili vlos esse, statuendum erit. *Erxleben* l. c. p. 227.

## 42.

Si eiusmodi liquori ante praecipitationem 1000. p. aquae adduntur, praecipitatio quidem calcis crudae sequitur,

---

si sal alcali non causticus additur; neque vero, si sal causticus fixus alcalinus additur. *Erxleben l. c. p. 236.*

## 43.

Sales caustici et lixiuia caustica aëre causticum iterum amittunt. Fiunt mitiora, ac facile in crystallos coniungunt atque in formam sicciam rediguntur, pondereque increscent, in primis si cum calce cum acidis effervescente coniunguntur. *Black. Macbride. Iatquin. de Smeth. Well. Lauoiser. Erxleben. p. 245. f.*

## 44.

Si sal ammoniacus cum calce viua a sale alcalino caustico fixo destillatur, obtinetur spiritus salis ammoniaci causticus, aqua leuior. Neque vero is a calce cruda aut sale non caustico obtinetur. *Erxleben l. c. p. 210. f.*

## 45.

Ex combinatione metallorum cum suis menstruis salinis, oriuntur sales metallici, qui acriori sapore gaudent, quam sales, quorum ope parantur. *Erxleb. chem. §. 817.*

## 46.

Mercurii quid calci crudae adfudi, huicque aquam fortem. Mercurius amitterebat statim splendorem metallicum, atque dum aqua fortis cum calce effervescebat, planus redebatur; quae quidem mutationes et celerius et vehementius sequebantur, ac si alio modo aqua fortis illi adfunditur.



47.

Si calci, quae vritur, mercurius adsunditur, idem splendore priuatur, et haud paullo post omnino euanescit.

48.

Aér ex calcareis terris euolutus succi heliotropii colorem in rubrum mutat, qui in aëre communi in pristinum reddit. *Bergmann Priesley V. R. Erxleben.* p. 66.

49.

Metallorum calcinatio in vasis omnino clausis absoluui non potest. Facilius in aëre libero, faciliusque etiam peragitur sub maiori metalli superficie. Durante calcinatione aér imminuitur. *Lauoierus* se obseruasse scribit, decimam sextam aëris partem a metallo imbibit: quam si metallum absorpsit, non ulterius mutatur. Aér conseruandae flammæ adhuc inseruit, nec calcis aqua mutatur. At aér ad respirandum inutilis est. *Erxleben l.c. p. 257.* et chem. §. 802.

50.

Aqua calcis spiritui adusto adsusa calorem eiusdem auget. Vinum rubrum ab eadem colorem profundiores adquirit in rat. 1: 1 $\frac{1}{2}$ . Si eadem spiritui vini gallici et saccharati adsunditur, idem est euentus. Puluis rhei barbari et aqua calcis colorem atrorubentem largiuntur, *Whytt* Opp. p. 60. 62. 63. 70.

51.

Metallorum reductio ex calcibus perficitur sub effervescentia. Euoluitur aëris magna copia, quae et flammæ deflagrationi inseruit, et ad respirandum conduit. Sed reductio maiorem requirit calorem, quam calcinatio.

EXPE-

E X P E R I M E N T O R U M  
E X P L I C A T I O.

## I.

**Q**uum sanguinis serum igne, oleo vitrioli et vini spiritu cogatur (exp. n. 1. 2.), adeoque ope inflammabilium; atque idem etiam efficiat calx viua (n. 3. 4.), sequitur, vt calx viua inflammabili gaudeat.

Calx viua quidem quum simul in adducto experimen-  
to (n. 3.) extinguitur, adeoque secundum Blackii  
hypothesin iam aëre fixo gaudeat, quod serum calx viua  
cogeret, posset fortasse inde quis explicare, quod serum  
aërem fixum amiserit, eoque magis, quum spiritus vini,  
secundum Cauendishii sententiam, aërem fixum suscipiat. a)  
Sed cur spiritus vini calidus serum violentius cogit? (n.  
2.) Aqua calida difficulter suscipere aërem fixum dicitur,  
atque calor statuitur impedire, quo aëris fixus minus susci-  
piatur. b) Itaque calori idem tribuendum est, ac potest  
de vini spiritu idem statui. Neque igitur hoc experimen-  
tum ex aëris fixi iactura explicari potest, in primis quum,  
aëri fixo cohaesionem tribuendam esse, reputent. Debe-  
ret enim coagulum potius ex addito aëre fixo sequi. Nec  
tamen hoc adsumi hic potest, neque igitur ope aëris fixi  
phaenomeni ratio reddi potest.

a) Erxleben I. c. p. 31.

b) Idem I. c. p. 64.

## II.



## II.

Lympham inflammabilia emolliunt, eiusque fluiditatem augent; idemque efficit calx viua (n. 5.); itaque calx viua inflammabili gaudeat, oportet.

## III.

Aqua calcis viuae quum lympham soluat, atque augeat colorem sanguinis (n. 6.) atque vtrumque ab inflammabili contingat, aqua calcis vt inflammabili praedita sit, necesse est. Iam vero quum aqua calcis contineat calcem viuam, vt calx viua gaudeat inflammabili, sequitur.

## III.

Quoniam oui albumen calore, spiritu vini atque oleo cogitur, (n. 7.8.), vt eiusdem coagulum inflammabili tribuatur, sequitur. Repetierunt quidem hoc oui coagulum ab aquae erceptione, sed perperam omnino. Etenim idem coagulum quum et adfusa aqua sequatur ab alchohole, et ab aqua quoque calida contingat, et ab oleo vitrioli, vel addita aquae maiori copia, quis demum, ab aquae erceptione repetendum esse coagulum, existimet? Et quisnam, quaeso, alcoholis effectus, quod corporis animalis fibras vulneraque constringat, atque indurescat, ab aquarum particularum iactura repetendos esse, credit? Eadem est seri conditio.

## V.

Quum coagulum fortius producatur ab oleo et aqua marina (n. 9.); sequitur, vt coagulum ab inflammabili fiat,

fiat, atque ab vtroque ideo fortius cogatur, quod plus caloris suscipere atque adducere possunt. Sed quum maxime cogat aqua calcis viuae, eadem plurimum inflammabilis soueat, oportet.

## VI.

Quoniam ex spiritu salis cum calce viua obtinetur spiritus vrinosus (n. 11.), qui inflammabile supponit, quo spiritus salis non potest fuisse praeditus, idem contineat calx viua, necesse est.

## VII.

Quum terra calcarea quaecumque calcinata cum sulphure veram calcis viuae aquam largiatur (n. 12.), hic vero calci addatur inflammabile; vt soluta in aqua calx viua inflammabile contineat, sequitur.

## VIII.

Quoniam calx et creta vstione euadunt calx viua (n. 13.) haec vero inflammabili gaudet (§§. I-VII.), atque iactura inflammabilis euadit cruda (n. 3. et §. I.), vstione vero iterum viua sit; sequitur, vt calx viua facta sit ope inflammabilis additi, atque hoc quidem in igne acceperit.

## VIII.

At quum calx non in igne soluit, sed sub speculo vrente etiam viua fiat (n. 14.), vtrumque nil, nisi conditionem, sine qua non, contineat, oportet, id quod confirmant sequentia.

## C

## X.



## X.

Quum autem calcis viuae proprietates, quas, quamdiu viua est, ostendit, sint contingentes, easdem etiam amittere ac cum aliis corporibus communicare possit, oportet. Quod quidem tum experientia, tum sequentia confirmant.

## XI.

Quum ignis ac speculum vrens modo ex eo proprietates calci impertiant, quod conditionem largiantur, sub qua calx inflammabile suscipere possit (§. IX.); admodum probabile est, fore, vt praeter calcem aliae etiam terrae calcareae, aliaque corpora, calci analoga, easdem susceptura sint proprietates, quas calx sub igne et speculo vrente obtinet. Idemque comprobat experientia in creta (n. 13.), magnesia (n. 15.) et salibus alcalinis (n. 16.).

## XII.

Spiritus vini quum, vt probabile admodum, nihil aliud sit, nisi aqua, inflammabilis maiori copia imbuta, atque aqua simul leuior sit (n. 17.), vt ob inflammabile aqua leuior sit, oportet. Quum vero praeterea perfectior reddatur, quo magis abundat inflammabili, simul vero leuior fiat (n. 17.); admodum probabile est, inflammabile carere grauitate.

## XIII.

Oua quum addito inflammabili cogantur (§§. IV. V.), simul vero leuiora fiant, (n. 10.). admodum vero simile



---

simile est, inflammabile corpora reddere leuiora, adeoque grauitate destitui.

### XIII.

Quum phosphorus in aëre inflammetur, relictum autem eiusdem acidum ponderosius sit phosphoro (n. 20); sequitur, vt phosphorus ob inflammabile, quo praeditus est, leuior sit; adeoque inflammabile leue, aut grauitate destitutum sit, oportet. Quumque inflammabile in aëra abeat, aër id fuscipiat, necesse est. Phosphori autem destructionem pendero ab inflammabilis iactura, neque omnino ab aquosis particulis, ex aëre additis, inde facile collig: poterit, quod idem in aqua diu possit conseruari.

### XV.

Quum pyrophorus in aëre inflammetur ac destruatur, relicta vero eiusdem materia pondere pyrophorum excedat (n. 21.), vt pyrophorus ob inflammabile, quod perit, massa sit leuior, adeoque inflammabile grauitate destruatur, sequitur.

### XVI.

Quum aër quartam ponderis sui partem amittat, quando inflammabile, v. c. ex limatura martis et sulphure, cum aqua mixtis, in aëra abit (n. 22); sequitur, vt aër ob inflammabile susceptum leuior sit factus. Igitur et inflammabile grauitate destituatur, et aër idem recipiat, oportet.

### C 2

### XVII.



## XVII.

Quum viua calx ope seri, lymphae, sanguinis, oui albuminis, aliorumque corporum, se inflammabili paediatam esse, ostendat, (§. I. VII.); admodum probabile est, eamdem leuiorem esse calce non vista, quia inflammabile corpora leujora reddit (§. XII. XVI.). Itemque comprobat experientia (n. 13. 18.)

## XVIII.

Quoniam magnesia et sales alcalini easdem obtinent, ac calx viua, proprietates, tum in igne, tum sub speculo vrente, eadem vero leuior fit (§. XVII. XI.), et hi leuiores fiant, oportet, id quod experientia testatur. (n. 19.).

## XVIII.

Quum calcis viuae proprietates modo sint continentes (§. IX, X. et seq.), vt calx, dum reliquas amittit, grauior fiat, oportet, quod quidem experientia comprobat. (n. 18.). Atque alcalici sales et magnesia quum se habeant, vt calx viua (§. XI. XVII. XVIII.) hi quoque suas proprietates amittant, atque tunc grauiora fiant, oportet; id quod testantur sequentia.

## XX.

Quum inflammabile corpora reddit leujora (§. XII. XIX.) statui non potest, corporum facultatem vrendi, lucendi, calefaciendi solo motu elementorum corporum niti. Sic calx non solum leuior est, quando mox ex igne depromta est, sed quamdiu viua est, atque eidem inflammabi-

mabile adscribendum esse et aliae proprietates edocent. An hic perpetuus adsumi poterit elementorum calcis viae motus, statuque, hunc continere rationem proprietatum calcis viae?

### XXI.

Quum omne corpus gaudeat grauitate, inflammabile corpus esse nequit. — Quumque in omnibus deprehendatur corporibus, iisdemque proprietates impertiat, atque modificet easdem, prout eiusdem plus minus continent, nil impedit, quo minus *principium leue v. inflammabile* nominemus. Quod quidem haud sine ratione adsumi et sequentia vterius comprobabunt.

### XXII.


Quamvis in hac argumentandi ratione nullum videatur vitium commissum esse, tamen, repugnare observationes alias, forte erant, qui existimunt. Sic Meyerus ex carbonibus, omni cura incineratis, modo XVI tam partem ponderis obtinuit.\* ) Oleum quoque vitrioli admodum ponderosum est, neque quis dubitat, quin inflammabili gaudeat.

\* ) I. c. p. 183.

At vero quum inde deductae explicationes aliis veritatis egredie respondeant; atque, quum ultra pergitus, multa possint explicari; illa, quae supra possumus, negligere omnino non possumus. Id forte inde colligi poterit et debet, duo esse iusflammabilis genera, quorum unum corporei quid est, interstitiis carens, ut materia densior sit, hinc et grauior, quocum illud coexistit. Hoc-

C 3

que



que principium inflammabile vel *vbi*que vel sub certis conditionibus attrahit, vnde varia oriuntur forte phaenomena.

### XXIII.

Quae iam prolata hypothesis variis comprobatur argumentis. Vinum plus continere principii inflammabilis, quam mustum, quis est, qui neget? Iam vero quum flamma extinguitur simul, ac candelam tenens accedit regioni, vbi vinum fermentationem subiit, admodum probabile est, aëris principium inflammabile additum esse vino. Etenim candelam, ut deflagret, exposcere principii inflammabilis additamentum, inde probatur, quod in spatio minori mox extinguitur, id quod aëris pressioni sublatae omnino nequit tribui, siquidem carbo quoque sub minori spatio et simul, ac cinis accumulatur, in aëre quoque libero extinguitur, quum e contrario in aëre libero supra corpore candente deflagrare perget. Neque igitur hoc potest ab aëris grauitate repeti.

Quam quidem sententiam et confirmat carbonum ligneorum incineratio. Quum enim carbonis deflagratio et incineratio poscit inflammabilis principii additionem, facile potest ratio reddi, cur cinis et leuior sit carbone et causticus. Etenim et leuitas et caustica indoles debent (praeter iacturam attrahentis) a principio inflammabili repeti. (§. XII-XVIII. seq.

### XXIV.

Itaque omnino probabile est, corporum deflagrationem poscere principii inflammabilis additamentum. Igitur idem valeat de sulphure, necesse est. Sed idem quoque

---

que confirmat experientia; nam candela quoque extinguitur, vbi sulphur deflagravit (n. 23.) At vero quum pondus aëris post sulphuris deflagrationem vix mutetur (n. 23.); sulphur quoque videtur principium inflammabile continere, quod simul liberatur. Id vero eiusdem mixtio confirmat.

### XXV.

Quum corpora solummodo deflagrent in aëre, qui principio inflammabili praeditus est, (§. XXIV.), sequitur, vt ambiens nos aër, in quo corpora deflagrare obseruantur, contineat principium inflammabile. At quum idem adhuc ex non nullis corporibus aër recipiat (§. XIV. XV. XVI. XXIV.), non omnino eodem repletus esse potest.

### XXVI.

Aër vero quum inflammabili principio praeditus sit, (§. XXV.). facile intelligitur, qui calx non in igne solum, verum etiam sub speculo vrente possit obtinere principium inflammabile. (§. IX.)

### XXVII.

Quum phosphorus in aëre amittat suum principium inflammabile, in aqua vero diu possit conseruari (§. XIV.); sequitur, vt aqua eum principio suo inflammabili non priuet, quo conseruatur. Igitur vero simile est, aquam plus continere principii inflammabilis, quam aër communis. Id quod experientia confirmat in eo, quod aqua, quae non mouet, putrescat, quod quidem principii inflammabilis iacturam indicat, vt alibi demonstrabitur.

Aquam



Aquam pluvialem quidem, in primis destillatam, nunquam putrefcere, multi perhibent. At vel purissima et destillata tum in ligneis, tum in vitreis etiam vasis putreficit. (cf *Neumann chem.* T. II. p. 372. *Wallerii V. Cel. chem.* T. I. 405.)

### XXVIII.

Quibus quidem argumentis multum procul dubio lucrati sumus. Reiiciendam esse *Meyeri* hypothesin, ex quo constaret, calcem sub speculo etiam vrente viuam fieri, statuerunt quidem V. Cl. *Bucholz*, *Well*, *Erxleben* aliique. Tamen *Meyerus*, suum acidum pingue vbique adesse statuebat, quod lux esset. Anne igitur poterat concipi, quomodo radii eiusdem speculo vrente colligerentur, atque calx viua euaderet? Neque exinde certior reddebatur aëris fixi hypothesis.

### XXIX.

Iam accedamus ad calcis viuae proprietates. Calcem viuam cum magno calore in aqua solui, res est notissima. Poteſt tamen eadem omnibus praedita esse proprietatis, nec tamen magnum excitare calorem. Atque praeterea, quo difficiilius principium inflammabile contingens eam deferere potest, eo maiorem esse calorem, animaduertimus. Quo magis enim eiusdem particulae cohaerent, et quo minus adfusum fluidum continet principii inflammabilis, eo maior exoritur calor. (n. 25. 27.). Adeoque calor oritur procul dubio ex aequali distributione principii inflammabilis per calcem et adfusum liquidum (supponita maiori eiusdem accumulatione). Quo facilius itaque haec

haec aequalis distributio absolutur, eo minor exoritur calor: quo difficilis fieri potest, eo maior calor producitur.

Itaque quum olea et alcohol iam multum principii inflammabilis contineant, adeoque differentia ratione inflammabilis non maior est, calor a deposita calce viua non potest esse multi momenti. Quumque calida aqua plus contineat inflammabilis, quam frigida, neque hic tantus oboriri calor potest, quam sub illa. Quoniam vero minor aquae copia minus principii inflammabilis adfert, quam maior copia, et illic maior produci calor debet. Et quum acetum minus omnino principii inflammabilis contineat, et hic maior calor oriatur, oportet. Quoniam vero aequalis distributio difficilis absolutur, quando particulae calcis magis cohaerent, tunc quoque maior calor oboriatur, necesse est. Quae omnia comprobat experientia (n. 25.29.)

Calorem vero ab aequali principii inflammabilis distributione sequi, testantur experimenta, quod ipse spiritus vini aquae adfusus aquam calefaciat, quodque acidi spiritus aliis vel salibus alcalinis adfusi calorem producant, qui ab aciditatis gradu pendet. (n. 30.)

### XXX.

E contrario si differentia principii inflammabilis in duobus corporibus, quae commisscentur, minor est, oriatur tantummodo efferuescentia. Quo sit, vt acida cum alcalinis oleum vitrioli cum aqua simplici, calx cruda cum acidis efferuescant; atque vt sal alcalinus, igne solum aliquantum causticus redditus cum adfusis acidis primum parum, mox magis efferuescat, quoniam interiores eiusdem partes mi-

D

nus



nas continent principii inflammabilis, differentia adeoque minor intercedit.

### XXXI.

Quam ad natandum requiratur, vt corpus specificum levius sit fluido, quod suilocom subire posset (per princ. phys.); atque crudae calcis pulvis non natet in aqua, nec calcis aquam efficiat; vt crudae calcis particulae specificem grauiores sint, oportet, quam aqua. At quoniam viua calx aquam calcis producit, sequitur, vt eiusdem partes leviores sint illis crudae calcis. Et quam viua calx ob principium inflammabile levior sit cruda (§. XVII.), vt calx viua ob principium inflammabile aquam calcis producat, oportet.

### XXXII.

Quum principium inflammabile calcis viuae maximum partem contingens sit, adeoque eidem subtrahi possit (§. X.) atque aer principium inflammabile suscipiat, (§. XIV-XVI.) quod eodem non omnino oppletus est, (§. XXV.), vt calx viua successu temporis principio suo inflammabili priuetur, oportet. At quum calcis viuae a cruda differentia solo principio inflammabili nitatur, vt calx cruda sumat fiat, oportet, id quod experientia confirmat.

### XXXIII.

Quum aer suscipiat principium inflammabile ex corporibus, quae maiorem eius copiam continent (§. XXV.), vt quoque idem aquae calcis eripiat oportet, nisi quid impedit. Et quum particulae calcis viuae ideo in aqua natant, quod principio inflammabili gaudent, (§. XXXI.), atque idem modo ideo retinent, quod aqua idem non eripiat,

piat, quia ipsa eodem praedita est (§. XXVII); sequitur, vt, quando aér aquae principium inflammabile eripit, aqua particulis calcis idem eripiat; adeoque post aliquot tempus, si particulae calcis nimium principii inflammabilis amiserunt, pars calcis cruda fundum petat, necesse est. Igitur cremor calcis oriatur, oportet. (n. 31.) Itaque qui possit aqua calcis in abturatis vasis diu conseruari, facile patet.

#### XXXIII.

Exinde (§. XXXII, XXXIII.) facile potest ratio reddi cur calx viua partim integra, partim aqua soluta, cruda euadat, si vas, in quo continetur, cum vase coniungitur, in quo calx vritur. (n. 32.). Nam quum calx cruda igne apta reddatur, principium inflammabile ex aëre attrahendi (§. IX. XI.), viua autem calx principium inflammabile contingens iterum amittat (§. X. XXXII. XXXIII.); vt calx cruda viuam principio suo inflammabili contingentи priuet, necesse est.

#### XXXV.


Particulas calcis viuae ex aqua calcis praecipitari, quando eadem cum rebus fermentantibus coniungitur (n. 33.) ex his quoque facile diiudicatur. Quum enim sub fermentatione vinosa principium inflammabile rebus, fermentacionem subeuntibus addatur (§. XXIII.) principio inflammabili suo calx viua priuat, adeoque calx cruda praecipitatur. (§. XXXII. XXXIV.).

#### XXXVI.

Praecipitationem calcis crudae ex aqua calcis sequi, quum eadem cum mixtis acidis et alcalinis effervescentibus

D 2

coniün-



coniungitur (n. 34.), ex his quoque facile intelligitur. Quum enim tam sales alcalini, quam acida, principium inflammabile vehementer attrahant, ut sequentia edocent (§. XXXVIII. S. LIV.) principium inflammabile aquae calcis eripiunt, adeoque calx cruda euadit.

### XXXVII.

Quem aqua calcis viuae exhibet saporem causticum, habet a calce viua, nam tunc eundem amittit, quum calx cruda euadit. (n. 31.) Iam vero quum aqua calcis in priori casu gaudeat inflammabili, quod in altero amisit, (§. XXXI. XXXIII.), causticum a principio inflammabili pendeat, oportet,

### XXXVIII.

Quum causticum in calce viua contingens sit (§. X. XXXII.), sal vero alcalinus suscipiendo principii inflammabilis haud ineptus sit (§. XI. XVIII.), qui calx viua salem alcalinum possit causticum reddere, facile intelligitur (n. 35.) Sed exinde, principium inflammabile lubentius sali alcalino, quam calci se iungere, patet.

Quoniam vero causticum pendet a principio inflammabili (§. XXXVII.), hoc vero corpora leuiora reddit (§. XII. seq.), qui sal alcalinus, dum causticus fit, etiam leuior fiat, intelligitur. (n. 35.)\*) E contrario quum calx viua per principium inflammabile caustica et leuis sit (§ XVII. XXXVII.), eodem vero priuatur, dum salem alcalinum reddit causticum, et cruda et grauior fiat, necesse est. (n. 35.)

Sal vero alcalinus quum plus principii inflammabilis contineat, iam non potest cum acidis effervescent. (n. 35. §. XXX.)

\*) Idem obtinet in lixiuio (n. 38.)

### XXXVIII.

## XXXVIII.

Quoniam calx viua, in aqua soluta, eatenus calcis aquam largitur, quatenus principio inflammabili gaudet (§. XXXI. XXXII.), eodem vero priuatur, si sal alcalinus cum eadem coniungitur (§. XXXVIII.), atque crudae calcis praecipitatio sequitur, quum calci principium inflammabile eripitur (§. XXXIII.); vt, quum sal alcalinus non causticus aquae calcis viuae additur, is causticus fiat, dum calci inflammabile principium eripit (n. 36.), atque crudae calcis praecipitatio sequatur, oportet. Neque effervesce-re is potest, quum differentia principii inflammabilis iusto ma-ior sit (§. XXX.). Sed exinde quoque, vt principium inflammabile lubentius se cum salibus alcalinisi coniungat, sequitur.

## XL.

Quoniam calx viua ex aqua ideo praecipitatur, quod in crudam, ereptione inflammabilis, mutatur (§. XXXI. XXXIII.), sal vero alcalinus causticus ipse eodem abundat (§. XXXVIII. XXXIX.), fieri non potest, vt praeci-pitatio sequatur, quum aquae calcis sal alcalinus causticus additur (n. 37.).

## XLI.


Quum iam cruda calx, in acidis soluta, liquorem calcis efficiat, vt calcis crudae particulae, in acido ma-nantes, leviores sint, oportet, aequali acidi quantitate, quae earum locum subire posset. Igitur, quum viua calx cruda levior sit, et hia facilius poterit produci liquor calcis.

## XLII.

Ipsé autem calcis liquor sequitur, dum acidum prin-cipium inflammabile attrahit, quod quidem et cruda calx

D 3

con-



continet, vt alibi demonstrabitur. Quae si viua est, acidum contingens inflammabile eripit, adeoque crudam calcem refert. Haec quoque ratio est, cur praecipitatum grauius sit (*Erxleben l. c. p. 223.*)

#### XLIII.

Crudam calcem praecipitari ex acido liquore calcis, cui additus est sal alcalinus non causticus, quacumque fuerit calx, sive cruda sive viua (n. 39), inde intelligitur, quod calx in utroque casu cruda in acido existit (§. XLII.), atque acidum cum alcalino sale se coniungit, vt notissimum est. Igitur calx ex acido praecipitetur, oportet.

#### XLIII.

Qui sal alcalinus fixus causticus calcem viuam praecipitet (n. 40.), ex eo quoque intelligitur, quod sal cum acido coit. Igitur quod contingens est in sale alcalino principium inflammabile, a sale liberatum, calcis adiungit (§. XXXVIII. LIV.), quo fit, vt calx, vel cruda, praecipitet viua: et viua calx in acido soluta cruda esset (§. XLII.).

#### XLV.

E contrario sale alcalinum volatile causticum, quantum licet, terram calcaream ex liquore calcis acido non praecipitare (n. 41.), inde procul dubio repeti debet, quod principium inflammabile cum sale alcalino admodum cohaeret, neque ideo cum acido coit, adeoque nullam quoque producit praecipitationem. (§. XLIII.).

#### XLVI.

Si solutioni calcis viuae in acidis multum aquae adfunditur, calx quidem, quem viua est, in aqua soluta aquam calcis



calcis constituit (§. XLV. XXXI.). E contrario praecipitatio sequitur, quum cruda est, quoniam cruda aquam calcis efficere nequit (n. 42. §. XXXIII. XLIV.).

### XLVII.

Ne acidum superfluum sit \*), in his experimentis necessarium esse, facile intelligitur. Calx enim cum superfluo acido vbiique liquorem calcis producet, neque igitur fieri praecipitatio potest,

\* Erxleben l. c. p. 227.

### XLVIII.

Lixiuium et sales alcalinos in aëre fieri mitiores et pondere augeri, hocque citius obtineri posse, si cum calce cruda, quae cum acidis efferuerescit, vel aliis salibus alcalinis coniunguntur (n. 43.), ex antecedentibus facile diiudicatur; hoc enim eodem modo consequitur, quo calx viua cruda redditur (§. XXXII.); atque exinde, quod calx efferuens inflammabile attrahit, quod sequentia docent (§. LII.).

### XLVIII.

Sales alcalinos inertes redditos facile in crystallos cogi (n. 43.), phaenomenon est, quod principio inflammabili pendet. Etenim crystallisationem impedire principium inflammabile, inde comprobatur, quod lixiuia in vniuersum sub maiori caloris gradu omnino non largiantur crystallos, e contrario faciliter sub aëre frigidiori, umbra et in cellis. Igitur idem quoque, causticum esse inflammabile, ostendit.

### L.

Quoniam sales alcalini faciliter possunt in formam sicciam redigi, quum principium inflammabile amiserint;

admo-



admodum probabile est, fluiditatem pendere a principio inflammabili. (§. XLIX.). Sic quoque corpora solida in igne liquefunt, ichtyocolla, in aqua calcis soluta, suam tenacitatem amittit.\*)

\*) *Wytii* opp. p. 92.

### LI.

Obtineri spiritum salis ammoniaci volatilem, quum sal ammoniacus cum calce viua vel sale alcalino fixo mixtus destillatur (n. 44), eundemque esse fluidum et aqua leuius, iam facile poterit explicari. Nimurum principium inflammabile, quod in calce viua et sale alcalino contingens est, (§. X. XXXVIII.) cum sale ammoniaco coniungitur, qui idem vehemens attrahit. Quod quidem confirmat obseratio, quod ex urina obtinetur ex sale essentiali, qui ex singulari acido et sale alcalino volatile composto oritur, atque solus spiritum volatile largitur \*) adeoque principium inflammabile admodum attrahit.

Igitur ob inflammabile principium leuior et fluidus est (§. L.). E contrario si inflammabile amittit, inertior et grauior fiat, oportet, quod quidem experientia comprobat (n. 44).

\*) *Marggraf.* ch. S. T. I. p. 86.

### LII.

Sed quaeritur, cur spiritus salis ammoniaci causticus ope minii parari possit, qui illo et fortior et leuior existit?

Metalla quidem continere inflammabile modificatum, evictum est. \*) Sic mercurium continere idem, eiusdem solutio in acidis, splendor metallicus, tum praeparata, eorum-

rumque proprietates edocent. Idemque comprobant sales, qui ex solutione metallorum in suis menstruis acidis, aciores redundant. (n. 45.) Etenim hic metalla amittere inflammabile, calor ex solutione oboriens, vapores inflammabiles, praecipitata inflammabili orbata, eorumque reducio per corpora alcalia obtainenda, testantur.

Sic quoque ex eo, cur menstruum acrius fiat, cur sales facile liquecant, cur praecipitatum ponderosius sit, intelligitur.

Mercurii inflammabile praeterea testantur experimenta, quum in eumdem supra calcem crudam effunditur aqua fortis, vbi fortius cogitur, quam a sola aqua forti (n. 46.), et quum in calcem effunditur, quae vritur (n. 47.) In hoc casu calx, quae vritur, eum principio inflammabili orbat (§. IX.), in illo eum partim aqua fortis, partim calx eodem priuat. Cur enim hic maior oriretur coagulatio, quae certe ex iactura inflammabilis sequitur, vt illud experimentum docet? Igitur hoc experimentum primo edocet, calcem sub solutione in acidis principium inflammabile atrahere: deinde, fluiditatem corporum pendere a principio inflammabili, siquidem mercurius definit esse fluidus simul, atque eodem priuatur.

\*) cf. D. Wipacher d. de Phlogisto, vniōnis rerum metallicarum medio. Lips. 1752.

### LIII.

Sed de natura alterius partis mercurii constitutiae quaeritur, quae in illo experimento in aëra abit, nec potest discerni ab aëre, cui principium inflammabile deest? Mercurius maiori gaudet grauitate, quae per inflammabile

E

adhae



adhaerens etiam quodammodo imminuatur, oportet; ex calce quoque cruda potest euolui aër, quae et grauis et aciditate praeditus esse dicitur (n. 48.); et mercurio inesse acidum olim credidere \*); atque acida quoque haud minori grauitate gaudent; nec, qui grauis est aër communis, acido destitutur \*\*). Adeoque videtur corpora constituere alterum principium, quod et graue et acidum est.

\*) Neumanni chem. T. II. p. 830. sequ.

\*\*) Vogelii inst. chem. §. 87, sequ.

### LIII.

Quum acida metallia suo inflammabili priuent (§. LII.), et calx quoque acidis soluta inflammabile attrahat (*ibid.*), et acida quodammodo esse videatur (§. LIII.), et mercurius, suo inflammabili orbatus, idem iterum attrahat, vt restituatur, et acidus esse videatur (§. LIII.); admodum est probabile, acidam in vniuersum attrahere principium inflammabile. Iam vero quum haud discernenda sit pars corpora constituenta grauis ab acido (§. LIII.), et haec principium inflammabile attrahet, quamdiu nondum eodem saturata est.

### LV.

Iam possumus calcinationem et reductionem metallorum considerare.

Quum ignis id in calce efficiat, vt attrahat principium inflammabile (§. IX. XXIII.), idem et hic locum habebit. Metallum deliquescit, quod quidem confirmat, fluiditatem pendere a principio inflammabili. Quum ignis augetur, principium inflammabile (attractum tum ope ignis, tum a parte metallorum graui, §. LIII.) minut cohaesione (in eo enim differt corpus fluidum a solidō), fluidi igitur

igitur corporis cohaesio magis imminui, et corpus in puluerem redigi debet. Id quod aqua ebulliens, in qua terrestres partes oriuntur, explicare potest. Igitur metallum in calcem redigitur. Inde facile intelligitur, cur calcinatio non in vasis omnino clausis, ac facilius in ære libero et sub maiori superficie peragatur atque cur candelae flamma extinguitur, et cur calcium color profundior reddatur, quod, et aliae obseruationes comprobant, a principio inflammabili pendet (n. 50.) et plumbi flauedenis transitus in minium confirmat. Porro cum facile potest intelligi, cur sal ammoniacus cum minio et lithargyrio paratus fortior sit illo, cum calce viua parato. Et cur, paratum ope minii et lithargyrii, saccharum saturni nequeat in crystallos cogi (§. L.), quum cerussa talem largiatur. \*)

\*) Meyer. l. c. p. 171.

### LVI.

Reductio metallorum igitur debet iatura superflui principii inflammabilis sequi, quod sub calcinatione addebatur. Adeoque per corpora debet obtineri, quae principium inflammabile attrahunt; vnde fit igne maiori, carbonibus, calce cruda, nitro, salibus alcalicis (qui simul fiunt caustici): e contrario non possunt oleis reduci. Reducuntur autem sub effervescentia, siquidem differentia principii inflammabilis ratione aëris obtinet, ac testibus Pristley V. R. et Fontana V. C. aër euolutus et flammæ deflagrationi inseruit atque ad respirandum communem praefstat.






v

01 A 6631

ULB Halle  
004 931 246

3





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

White

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches



DE  
CALCIVM  
IN PRIMIS VIVA E  
NATVRA ET PROPRIE-  
TATIBVS

20

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. MED. THEOR. CHEM. ANAT. ET BOTAN. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVIS SOCIEAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEYTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

AD DIEM NOVEMBRIS CLOCCCLXXVII.

PRO DOCTORIS MEDICI HONORE

LEGITIME CAPESSENDO  
PVBLICE COMMENTABITVR

AVCTOR

IOANNES CAROLVS KOSCHWITZ

LANGENOELSA-SILESIVS.



TRAJECTI AD VIADRVM,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.